

creduntur fieri prælatorum. Nam & ipsi sacerdotes exorcismos faciunt, sicut in Aqua benedicta, sicut in lege veteri de Aqua purgatorij legitur, qua probantur adulteria, vel fides suo viro, & multa sunt huiusmodi. Sed quæ in libris Magicorum continentur, omnia sunt arcenda, quanuis aliquid veri contineant: quia tot falsis abutuntur quòd non potest discerni inter verum & falsum. Vnde quicumque dicunt, quòd Solomon composuit, & alij Sapientes, negandum est: quia non recipiuntur huiusmodi libri autoritate Ecclesiæ, nec à sapientibus, sed à seductoribus, qui nudam accipiunt litteram, & ipsi novos libros componunt, & novas adinventiones multiplicant, sicut scimus per experientiam: & vt tunc vehementiùs homines alliciãtur, titulos præponunt famosos suis operibus, & eos Authoribus ascribunt imprudenter: ac vt nihil opinentur, & contingentibus stylum grandisonum faciunt, & sub forma textus mendacia sua conflagunt. Characteres verò aut sunt verba signis literarum inuolutis compositi, continentes sensum orationis adinuentæ, vel sunt facti ad cultus stellarum in temporibus electis. De characteribus igitur primo modo sic iudicandum, sicut de orationibus dictum est: de sigillis autem & characteribus secundo modo, nisi fiant temporibus suis, nullam efficaciam penitus habere noscuntur. Et ideo qui facit ea sicut in libris formantur, non respiciens nisi solam figuram quam fabricant ad exemplar, nihil facere ab omni sapiente iudicatur. Qui autem in constellationibus debitis opera faciunt ad vultus cœlorum, illi non solùm characteres, sed omnia opera sua possunt disponere tam artis quàm naturæ secundùm cœli virtutem. Sed quia difficile est certitudinem cœlestium percipere: ideo in his multus est error apud multos: & pauci sunt qui aliquid vtiliter & veraciter scirent ordinare. Et propter hoc vulgus Mathematicorum iudicantium & operantium per stellas magicas non multum excellunt: quanuis peritissimi, & artem sufficienter habentes possent multas vtilitates facere, & per opera tanquam per iudicia in temporibus electis. Considerandum tamen: quia peritus medicus, & alter quicumque habet aliud